



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. IV. Vtrum gratia sanctificans sit participatio physica & formalis divinæ
naturæ, etiam formaliter reduplicativè ut infinita est?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ificativum respiciunt: Ergo mediâte saltem (mediantibus scilicet virtutibus, quæ ab ipsa emanant, ut proprietates ab essentia) dicitur habitudinem ad Deum ut est in se, tanquam in objectum specificativum, & finem connaturalem.

35. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Cum gratia sanctificans sit participatio naturæ divinæ, in quantum natura est, ut dicemus articulo sequenti, & natura divinæ, in quantum huiusmodi, sit formalissimè actualis intellectio sui, & quasi à se specificetur, dicaturque formaliter eminenter habitudinem ad seipsam, ut clarè & perfectè cognoscibilem, & ratione talis esse eminentis ita se respicientis, sit virtualiter radix attributorum, respicientium etiam per se primò Deum ut est in se, tanquam objectum omnino connaturale, oportet necessariò quod gratia habeat de illo esse eminenti naturæ divinæ, quod ab ipsa specificetur; non quòd eam immediatè respiciat tanquam objectum specificativum, cum gratia non sit immediatè operativa, sed quòd per modum radicis virtualiter fundet principia attingendi Deum ut est in se, per actus cognitionis & amoris; ex hoc enim habet respicere mediâte essentiam divinam, tanquam objectum à quo specificatur, quamvis eam immediatè per seipsam non attingat.

36. Confirmatur secundò: Virtutes Theologicæ, respiciendo Deum ut in se est tanquam proprium specificativum, participant intrinsecè aliquam perfectionem illius, excedentem omnes vires naturæ creatæ & creabilis: v. g. charitas fertur in Deum ut est summum bonum, participando ab illo maiorem inclinationem in ipsum objectum, quam sit possibilis omni creaturæ, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 2. similiter fides, respiciendo Deum ut est prima veritas, participat ab illo maiorem certitudinem, quam sit possibilis per naturam; unde quilibet fidelis est paratus negare omnem evidentiam naturalem, potius quam fidem: idem proportionaliter reperitur in aliis virtutibus: Ergo pariter gratia sanctificans, quæ est illarum radix, & à qua emanant, ut proprietates ab essentia, participat aliquam perfectionem Deo propriam, ac excedentem perfectiones totius naturæ creatæ & creabilis, subindeque est intrinsecè & quoad entitatem supernaturalis. Consequentia patet: quia debet esse proportio gradus inter habitus & proprium ac connaturale principium illorum.

37. Confirmatur tertio: Si gratia sanctificans esset solum supernaturalis quantum ad modum, non esset magis supernaturalis, quam visio miraculosè restituta cæco nato, quæ dicitur supernaturalis quantum ad modum, quia modo supernaturali & extraordinario producit: Sed hoc videtur plusquam absurdum, cum gratia sanctificans sit principium & radix meriti vitæ æternæ, & semen gloriæ & visionis beatificæ, juxta illud Apostoli, *Gratia Dei vita æterna*: Ergo est supernaturalis entitativè, & quoad substantiam.

38. Obijcies primò: Supernaturalitas creata non consistit essentialiter in habitudine ad Deum ut est in se: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Consequentia patet ex suprâ dictis. Antecedens probatur primò: quia donum scientiæ est ordinis supernaturalis, & tamen teste D. Thomâ 2. 2. quæst. 9. art. 2. in corp. & ad 3. tendit ad Deum per creaturas, subindeque non respicit illum ut est in se. Secundò probatur: quia virtutes morales infusæ sunt supernaturales, & tamen non tendunt ad Deum ut objectum specifi-

Tom. I V.

A cativum & connaturale; cum hoc sit proprium virtutum theologicarum, & donorum: Ergo supernaturalitas creata non consistit essentialiter in habitudine ad Deum ut est in se.

Respondeo negando Antecedens, Ad cuius primam probationem dico, donum scientiæ non ita in Dei cognitionem ex creaturis procedere, quin totus ille processus innitatur formaliter divino testimonio, quod est ratio formalis objecti fidei: dona enim Spiritus Sancti inniuntur virtutibus theologicis, & ideo tendunt in Deum ut est in se, tanquam in objectum specificativum. Ad secundam probationem dicendum, quod quamvis virtutes morales infusæ non respiciant immediatè Deum tanquam finem connaturalem, mediâte tamen in ipsum tendunt, quatenus respiciunt immediatè objectum ut regulatum per prudentiam infusam, quæ mediante fide & charitate attingit Deum ut est in seipso.

Obijcies secundò: Gratia sanctificans non est habitus operativus: Ergo non potest Deum ut est in se attingere per modum objecti specificativi, aut finis connaturalis; subindeque nec esse entitativè supernaturalis, si supernaturalitas consistat in habitudine & tendentia in Deum ut est in se, tanquam in objectum specificativum, aut finem connaturalem.

Respondeo quod licet gratia sanctificans non sit habitus proximè & immediatè activus, est tamen habitus operativus remotè & radicaliter, quia ab ipsa emanant virtutes infusæ, & dona Spiritus Sancti, quæ sunt principia proxima & immediata operandi in ordine supernaturali: unde est principium radicale attingendi Deum ut est in se, per modum objecti specificativi, & finis connaturalis, quod sufficit ut sit entitativè supernaturalis; supernaturalitas enim creata, ut suprâ diximus, consistit in habitudine mediata vel immediata ad Deum, ut objectum specificativum, aut finem connaturalem. Quare non solum gratia sanctificans, sed etiam auxilia, quibus ad illam disponimur & ad actus supernaturales movemur, sunt intrinsecè & entitativè supernaturalia; quia mediâte saltem tendunt in Deum ut est in se, tanquam in finem ultimum connaturalem, ex eo quod sunt principia actuum, qui ad Deum ut est in se immediatè terminantur.

ARTICULVS IV.

Utrum gratia sanctificans sit participatio physica & formalis divinæ naturæ, etiam formaliter & reduplicativè ut infinita est?

42. **F**atentur omnes Theologi, gratiam sanctificantem esse aliquam naturæ divinæ participatiōnem, id enim manifestè patet ex variis Scripturæ testimoniis, præsertim ex illo Psalmi 81. *Ego dixi, dii estis, & filij Excelsi omnes*, quod D. Augustinus ita interpretatur: *Manifestum est quia homines dicit Deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos: ille enim iustificat, qui per semetipsum non ex alio iustus est, & ille deificat, qui per seipsum non alterius participatione Deus est: qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit, dedit enim eis potestatem filios Dei fieri: si filij Dei facti sumus, & dii facti sumus, sed hoc gratia est adoptantis, non naturæ generantis.* Solum ergo difficultas est in modo explicandi talem divinæ naturæ participatiōnem: quidam volunt eam non esse physicam, sed

M

duntaxat moralem, consistentem in convenientia cum natura Dei, quantum ad id quod in ea morale est, videlicet quantum ad rectitudinem affectus, ratione cuius Deus est semper conversus ad seipsum tanquam ad summum bonum, & aversus ab omni iniquitate, iustus, sanctus, & rectus in omnibus operibus suis; gratia enim sanctificans, ut ex ipso nomine constat, aliquid de tali sanctitate seu rectitudine divinæ voluntatis & naturæ participat. Alij ulterius admittunt gratiam esse participationem physicam divinæ naturæ, sed contendunt eam non esse formalem (sicut lux aëris est participatio lucis Solis, & calor ferri candentis participatio caloris ignis) sed tantum virtualem; sicut semen dicitur virtualis participatio generantis, quia est virtus ab ipso derivata, & ad producendum sibi simile ordinata. Et adhuc inter istos est dissensio: nam Cajetanus, Ledesma, & Joannes Vincentius Asturicensis, quos citat & sequitur Martinez in præsentia, asserunt quod gratia est participatio physica & formalis divinæ naturæ, etiam ut reduplicativè infinita est, & actus purus, ac ens per essentiam. Sicut enim (inquiunt) natura divina, quæ est substantia, accidentaliter est in gratia, ita gratia potest infinitum participare finito modo. Cuius verò hic art. 3. dubio 1. §. 5. oppositum tenet, putatque implicare contradictionem, quod forma creata, finita, & limitata, ipsam infinitatem & illimitationem divinæ naturæ quocumque modo participet.

Has duas sententias inter se oppositas in concordiam revocare conatur Joannes à S. Thoma hic disp. 22. art. 1. asserens quod gratia est participatio divinæ naturæ, & infinitatis, ac puritatis ejus, objectivè (cum sit similitudo & fulgor intellectualitatis divinæ, elevans creaturam rationalem, ut respiciat pro objecto connaturali & specificativo Deum, ut est in se infinitus, actus purus, & ens per essentiam) non tamen subiectivè, quia non habet eundem modum infinitatis quem habet objectum: sicut (inquit) quantumcumque elevetur inferior Angelus ad intelligendum objectum de quo illuminatur, licet pervenire possit ad cognoscendum idem objectum quod superior cognoscit, nunquam tamen perveniet ad modum cognoscendi Angeli superioris, sed semper cognoscet inferiori modo.

§. I.

Vera sententia quatuor conclusionibus sequentibus declaratur, & statuitur.

Dico primò, gratiam sanctificantem esse participationem, non solum moralem, sed etiam physicam, divinæ naturæ.

44. Probatur primò: Gratia, cum sit forma physica & supernaturalis, physicè participare debet aliquam perfectionem divinam; nam omnia entia supernaturalia sunt participationes Dei, ut transcendit omnem naturam creatam & creabilem, sicut articulo præcedenti declaravimus: Sed gratia sanctificans, cum sit prior charitate, aliisque habitibus supernaturalibus, participare debet illam perfectionem quæ in Deo concipitur prior, seu quæ est veluti radix ac fundamentum cæterarum, & quæ proinde gerit munus essentiæ seu naturæ, ut infra magis explicabitur: Ergo gratia sanctificans est physica participatio naturæ divinæ.

45. Probatur secundò: Homo in Scriptura dicitur nasci & renasci ex Deo per gratiam, & in ejus fi-

lium adoptari: Sed hæc de solo consortio morali cum Deo verificari nequeunt: Ergo gratia sanctificans est participatio naturæ divinæ, non tantum moralis, sed etiam physica. Major patet: dicitur enim Joan. 1. *Ex Deo nati sumus*. Et 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit*. Et 1. Petri 1. dicuntur homines renati ex semine incorruptibili. Item Joan. 1. dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, scilicet per gratiam, per quam in filios Dei adoptamur. Unde cum Scriptura varia nomina tribuat Deo, juxta diversitatem effectuum quos causat; illum vocat patrem, quando tribuit nobis gratiam, ut patet ex illo Pauli ad Roman. 1. & Ephes. 1. *Gratia vobis à Deo Patre*, quia tribuendo illam, generat nos sibi filios adoptivos, & sic remanet pater; & quia id fit meritis Christi, addit: *Et à Domino Iesu Christo*. Minor verò suaderetur: Habere consortium morale cum Deo, est participare ejus rectitudinem moralem: Sed participatio rectitudinis moralis Dei, non salvat nativatem hominis ex Deo, nec filiationem ejus adoptivam: Ergo Scripturæ locutiones de solo morali consortio divinæ naturæ verificari nequeunt. Major patet: Minor probatur. Nativitas & filiatio petunt necessariò ut filius particeps naturam patris, substantiali participatione, si filiatio fuerit substantialis; & accidentaliter, si fuerit solum accidentaliter: Sed rectitudo moralis Dei non est ipsa natura divina, quia cum sit propria voluntatis perfectio, pertinet ad perfectiones attributales, naturam supponentes: Ergo participatio rectitudinis moralis Dei, non sufficit ut homo dicatur ex Deo nasci, & filius ejus adoptivus fieri.

46. Probatur tertio: Effectus & finis gratiæ sanctificantis non solum sunt aliquid morale, sed etiam physicum: Ergo illa est non solum moralis, sed etiam physica divinæ naturæ participatio. Consequentia patet, quia causa debet continere perfectionem sui effectus, & proportionari cum illo, sicut & forma cum suo fine connaturali. Antecedens probatur: Virtutes infusæ, & dona Spiritus Sancti, sunt effectus gratiæ sanctificantis, & ab ipsa emanant sicut proprietates ab essentia, ut infra dicemus: visio autem beatifica est finis ad quem connaturaliter tendit; unde Joan. 4. dicitur *fons aquæ salientis in vitam æternam*, scilicet per connaturalem inclinationem ad illam: Sed dona Spiritus Sancti, virtutes infusæ, & visio beatifica, non tantum dicunt aliquid morale, sed etiam realem & physicam perfectionem important: Ergo effectus & finis gratiæ sanctificantis, sunt aliquid non solum morale, sed etiam physicum. Hæc conclusio magis patebit ex dicendis in sequenti.

47. Dico secundò: Gratia sanctificans est participatio formalis divinæ naturæ, & non solum virtualis.

E Probatur conclusio quatuor rationibus. Prima sic potest proponi: Operationes naturæ superiori connaturales, non possunt ullo modo fieri connaturales alteri, nisi altera aliquo modo habeat in se formaliter naturam illam superiorem: Sed visio Dei ut est in se, & ejus dilectio super omnia, quæ sunt connaturales naturæ divinæ, sunt connaturales homini iusto per gratiam sanctificantem: Ergo homo iustus per illam habet in se formaliter naturam divinam participativè. Minor patet: tum quia delectatio orta ex aliqua operatione est signum connaturalitatis illius; ex visione autem beata, & dilectione Dei super omnia, maxima oritur delectatio in homine & Angelo: tum etiam

quia quæ sunt ex inclinatione subiecti, sunt connaturalia; illæ verò operationes sunt ex inclinatione hominis iusti, vel Angeli: Ergo ipsis sunt connaturales per gratiam. Major verò probatur: Operatio dicitur connaturalis, quia sit cōformiter ad naturam à qua procedit: Ergo impossibile est illud quod est alicui naturæ superiori connaturale, fieri connaturale alteri, nisi aliquo modo habeat illam naturam. Unde quia natura hominis vel Angeli nullo modo reperitur in bruto, repugnat quod actiones naturæ angelicæ & humanæ connaturales, scilicet intelligere & velle, naturæ irrationali fiant connaturales. Hanc rationem frequenter insinuant SS. Patres, præsertim D. Dionysius, & S. Cyrillus. Iste enim lib. 2. thesauri cap. 2. sic ait: *Eandem operationem connaturaliter habentes cum Deo, necesse est esse ejusdem naturæ.* Ille verò cap. 2. Ecclesiast. hierar. docet hominem non posse operari divinam, qui statum gratiæ sanctificantis non fuerit consecutus: *Quia* (inquit) *unusquisque solum agit quæ substantiæ statûsque sui sunt.*

48. Secunda ratio est: Illa forma, ex qua oritur inclinatio in Deum ut est in seipso, est participatio formalis naturæ divinæ: Sed à gratia sanctificante oritur talis inclinatio: Ergo illa participat formaliter naturam divinam. Minor pater, quia ex gratia consequitur (sive per rationem tantum, ut contendit Scotus, sive realiter, ut articulo sequenti contra ipsum ostendimus) charitas theologica, quæ est essentialiter inclinatio in Deum ut est in seipso, quia regulatur per fidem, vel per claram visionem, quæ in Deum ut est in se tendunt: amor verò Dei naturalis, quia regulatur per cognitionem quam habemus de Deo per creaturas, & ex creaturis, non tendit in illum ut est in se, sed prout relucet in speculo creaturarum. Major verò suadetur: Inclinatio in Deum ut est in se, fundari debet in aliqua natura; cum omnis inclinatio fundetur & radicetur in aliqua natura: Sed non potest fundari in aliqua natura creata: Ergo solum in natura divina. Minor probatur: Omnis inclinatio tendit in bonum proprium naturæ in qua radicatur: Ergo inclinatio, tendens in bonum divinum, ut est in seipso, nequit radicari in natura creata, sed solum in natura divina per essentiam, si inclinatio sit aliquid increatum, vel divina per participationem, si inclinatio sit aliquid creatum, ut contingit in proposito. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur. Omnis inclinatio tendit essentialiter in bonum, & cum nulla inclinatio sit propter seipsam, sed propter naturam in qua fundatur (ad hoc enim datur, ut natura per illam consequatur suam perfectionem, & bonum sibi proportionatum) sequitur quod omnis inclinatio tendat in bonum proprium naturæ in qua radicatur. Unde non potest alia ratio assignari, cur inclinatio lapidis sit ad centrum, & inclinatio ignis ad locum sursum, nisi quia locus sursum est bonum proprium, congruum & conveniens naturæ ignis, & centrum est bonum congruum naturæ lapidis, & idem apparet in qualibet alia inclinatione.

49. Tertia ratio: Participare formaliter aliquid, est habere convenientiam formalem cum illo, saltem analogam; ut patet in accidente, quod participat rationem entis formaliter, quia in illa habet convenientiam formalem, saltem analogam, cum substantia: Sed gratia sanctificans habet talem convenientiam cum natura divina; sicut enim na-

A tura Dei est eminenti quodam modo radix cognitionis & amoris, quo Deus seipsum ut in se est infinito modo cognoscit & amat; ita gratia est radix intelligendi & amandi Deum ut est in se, & prout transcendit totum ordinem creatum & creabilem: Ergo gratia sanctificans est participatio formalis naturæ divinæ.

Ultima ratio insinuat a D. Thoma hic art. 3. his verbis: *Virtus uniuscujusque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem, quando scilicet unumquodque sic est dispositum, secundum quod congruit suæ naturæ* (præmiserat locum Aristotelis 7. physic. ubi dicit quod *virtus est quedam dispositio perfecti*, & subdit: *Dico autem perfectum, quod est dispositum secundum naturam*) *Manifestum est autem* (addit S. Doctor) *quod virtutes acquisitæ per actus humanos, sunt dispositiones quibus homo convenienter disponitur in ordine ad naturam quæ homo est:* Ergo virtutes infusæ, quæ sunt altioris ordinis, debent (ut etiam infert S. Thomas) ipsum disponere altiori modo, & in ordine ad aliquam naturam altiorem, quæ non potest esse alia, quam ipsamet natura divina, participata per gratiam sanctificantem: Ergo talis gratia est participatio formalis naturæ divinæ. Unde in Scriptura vocatur *substantia Dei*: nam ad Hebræos 3. de fide, quæ est dispositio & initium gratiæ, dicitur quod est *initium substantiæ Dei*; & Augustinus tract. 23. in Joan. ait quod *anime resurgunt à peccato per substantiam Dei*, id est per gratiam, quæ est substantia Dei, non essentialiter, sed participativè, ut explicat S. Thomas 3. p. quæst. 56. art. 2. ad 1. Item Ambrosius super cap. 1. primæ ad Corinth. 1. inquit Deum per gratiam dare nobis *regalem magnificentiam*, quia per illam, ut dicitur 1. Petri 2. efficiamur *genus regale*, id est de natura & genere Dei.

Dico tertio: Gratia sanctificans est participatio physica divinæ naturæ, etiam formaliter & reductivè ut infinita est, & actus purus, habetque totam essendi plenitudinem.

Hæc conclusio in primis probari potest ex principiis in precedenti statuit: Ex gratia enim sanctificante oritur inclinatio in Deum, ut est ens infinitum & per essentiam, habetque totam essendi plenitudinem, scilicet spes & charitas: Ergo debet in se participativè habere naturam divinam, ut est ens infinitum & per essentiam: nam ut supra dicebamus, nihil dat inclinationem ad aliquam naturam, nisi saltem participativè præbeat illam.

Item operationes connaturales alicui naturæ nequeunt competere connaturaliter, nisi habenti eandem naturam, saltem participativè, ut ibidem ostendimus: Sed visio beatifica, quæ est operatio gratiæ consummatæ, competit Deo, ut est ens infinitum & per essentiam: Ergo gratia consummatæ patriæ participat naturam divinam, ut est ens infinitum & per essentiam.

Præterea, Gratia consummatæ connaturaliter debetur essentia divina, ut species representans totum Deum, ut est in se ens infinitum & per essentiam: Ergo ipsa est participatio naturæ Dei, ut est ens infinitum & per essentiam. Probatur consequentia: Nulli naturæ connaturaliter debetur species, nisi ejusdem ordinis & perfectionis cum illa: Ergo si gratia consummatæ connaturaliter debetur species, quæ est infinita, & ens per essentiam, ipsa etiam, saltem participativè, debet esse ipsum esse infinitum & per essentiam.

Potest insuper suaderi conclusio ratione fundam.

M ij

Tom. IV.

mentali, & simul præcipuum Curielis fundamentum convelli. Ut gratia sanctificans dici possit participare naturam divinam, ut infinita est, non requiritur quod totam Dei infinitatem in se capiat, sed sufficit, quod ei conveniat aliqua pars, seu aliquis modus divinæ infinitatis: At gratia sanctificans, aliquam partem, seu aliquem modum infinitatis Dei in se capit: Ergo participat naturam divinam, ut infinita est. Major patet: participare enim aliquam perfectionem, non est habere illam totaliter & completè, sed partialiter & inadæquatè; cum participare nihil aliud sit quàm partem capere, & partem relinquere, ut ex ipsis terminis constat. Minor verò suadetur: Deo ut est ens infinitum & per essentiam tria conveniunt; primum est habere suam essentiam pro objecto connaturali, & pro forma intelligibili, ad cuius modum alia intelligat; hoc enim ipsi competit prout excedit totum ordinem naturæ creatæ & creabilis, subindeque ut infinitus est, & ens per essentiam, habetque totam essendi plenitudinem: secundum est, ut identifice sibi tale objectum, & speciem, ac operationem quā in illud tendit: tertium, ut illud comprehendat, & cognoscat quantum cognoscibile est: At quamvis gratia sanctificans non possit duo posteriora in se habere, & in illis cum Deo communicare; primum tamen, nempe habere essentiam divinam pro objecto connaturali, & forma intelligibili, illi convenit, & in eo cum Deo communicat, ut ex suprà dictis patet: Ergo gratia sanctificans aliquid de infinitate Dei, seu aliquam partem illius in se capit, subindeque naturam Dei, ut infinita est, participat.

55. Ultimò probatur conclusio: Charitas nostra est formalis participatio divinæ charitatis, ut est infinita: Ergo & gratia potest esse participatio divinæ naturæ, formaliter & reduplicativè ut infinita. Consequentia patet, non enim magis repugnat participari essentiam infinitam ut sic, quàm proprietatem infinitam. Antecedens autem est D. Thomæ 2. 2. quæst. 24. art. 7. ubi probat charitatem vix posse augeri in infinitum, quia est participatio infinitæ charitatis Dei: quæ verba sunt intelligenda formaliter, aliàs si charitas non esset participatio formalis infiniti ut sic, sed secundum aliquem gradum determinatum, non posset augeri ultra illum, quia jam non participaret talem gradum, sed superiorem, & sic esset alia forma superior: sicut intellectus v. g. Angeli, & esse substantiale hominis, non possunt augeri in infinitum, quia licet participant formaliter intellectum & esse Dei, quæ infinita sunt, ea tamen non participant formaliter ut infinita, sed secundum aliquem gradum determinatum.

56. Dico quartò, gratiam esse participationem naturæ divinæ, ut natura est.

Probatur primò ex suprà dictis: Generari, nasci, & esse filium Dei adoptivum, non potest alicui convenire, nisi participet naturam Dei, ut natura est: Sed per gratiam generamur, nascimur, & sumus filij Dei, ut in prima conclusione ostensum est: Ergo per illam participamus naturam Dei, ut natura est. Major patet: nam ideò Spiritus Sanctus non generatur, nec nascitur, nec est filius Dei, quia licet habeat naturam divinam, illa tamen non communicatur ei ut est natura, sed ut voluntas.

57. Probatur secundò: Id quod in nobis habet rationem naturæ in ordine supernaturali, debet esse participatio naturæ Dei, ut natura est; sicut est

A participatio proprietatis vel potentie Dei, quod in nobis habet rationem virtutis supernaturalis: Sed gratia sanctificans habet rationem naturæ in ordine supernaturali; sicut virtutes infusæ habent rationem proprietatis seu potentie in eodem ordine, ut docet Divus Thomas hic art. 4. ad 1. Ergo gratia sanctificans est participatio naturæ divinæ, ut natura est.

Probatur tertio ratione, quam suprà insinuavimus. Illud formaliter participat naturam divinam, sub conceptu & munere naturæ, quod cum ea ut tali habet analogam similitudinem: Sed gratia sanctificans illam habet: Ergo &c. Major patet: Minor probatur. Naturæ divinæ, sub conceptu & munere naturæ, convenit immediatè & per se primò, respicere seipsam eminenti modo, & fundare per modum radices virtualis omnes Dei proprietates, & principia proxima tendendi in Deum ut est in se, tanquam in objectum proportionatum & omnino connaturale: Sed gratia etiam respicit Deum immediatè, quasi trahens ipsum per modum vinculi ad animam; fundatque proprietates analogice similes proprietatibus naturæ divinæ, & principia operationum attingentium Deum ut est in se, tanquam objectum connaturale & proportionatum: Ergo habet similitudinem analogam cum natura divina, ut talis est, seu ut gerit munus & vices naturæ.

§. II.

Præcipue objectiones solvuntur.

O Bicies primò contra primam conclusionem: Totum, vel saltem præcipuum fundamentum allerendi gratiam esse physicam, & non solum morale, divinæ naturæ participationem, est quia per illam homo constituitur filius Dei adoptivus: Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Major patet ex suprà dictis. Minor probatur primò ex Scriptura: nam Matth. 12. Christus vocat fratres secundum naturam divinam eos qui fecerint voluntatem Dei, & habuerint cum ea conformitatem, in qua reëctitudo moralis humanæ voluntatis consistit: Ergo solum morale cum Deo consortium, sufficit ut filij Dei nominemur & simus. Consequentia patet: nam qui est frater alicujus, ut natus à tali patre, est filius.

Secundò probatur eadem Minor: ad Galat. 3. dicitur: *Vos estis filij Dei per fidem*; & tamen fides non est participatio naturæ, sed cognitionis Dei: Ergo ex eo quòd Scriptura dicat per gratiam nos fieri Dei filios, non rectè infertur illam esse physicam naturæ divinæ participationem.

Probatur tertio: Res inanimatæ dicuntur nasci ex Deo, & ab ipso generari, & tamen illæ non participant naturam Dei ut est in se: Ergo ex eo quòd homo, ratione gratiæ sanctificantis, dicatur in Christo renasci, & à Deo generari, non rectè probatur, ipsum per gratiam physicè participare naturam Dei. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur. Nam Psal. 148. ubi habetur, *Ipse dixit & facta sunt*, Basilii legit: *Et nata sunt*. Et Job 38. dicitur: *Quis est pluvia pater, aut quis genuit stillas roris?*

Denique eadem Minor ratione suadetur: Non est de ratione adoptionis, quòd communicetur natura personæ quæ adoptatur in filium, sed tantum quòd ipsi tribuatur jus ad hæreditatem, quòd non habet ex vi suæ originis, ut constat in adoptione quæ fit inter homines, per quam adoptatus non recipit naturam ab adoptante (aliàs filiatio

adoptiva non distingueretur à naturali) sed tantum acceptatur ad ejus hereditatem. Unde adoptio definitur à Jurisconsultis: *Voluntaria assumptio, sive gratuita acceptatio persone extraneæ ad hereditatem, ad quam ex vi sue originis non habet jus*: in qua definitione nulla fit mentio de communicatione naturæ, sed solum de acceptance ad hereditatem. Ergo licet homo per gratiam filius Dei adoptivus constituatur, non sequitur quod per illam physicè naturam divinam participet.

60. Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad ejus primam probationem dico, quod quia nullus potest facere voluntatem Dei in omnibus sine gratia, ideò qui facit illam est frater Christi (subindeque filius Dei adoptivus) non formaliter quia facit eam, sed ratione gratiæ, per quam illam implet, & Dei mandata observat.

Ad secundam respondetur quòd vel ibi sermo est de fide viva, quæ connectitur cum gratia, eaque informatur: vel quòd per fidem homo dicitur regenerari ex Deo, & filius ejus adoptivus fieri, initiativè & dispositivè; quia fides ex parte intellectus est dispositio & initium justificationis, seu infusionis gratiæ sanctificantis, quæ facit nos formaliter Dei filios adoptivos. Unde, ut suprà annotavimus, Apostolus ad Hebræos 3, vocat fidem, *initium substantiæ Dei*.

Ad tertiam respondetur Scripturam ita asserere, per gratiam homines ex Deo nasci, vel generari, ut regeneratis per gratiam proprias filiorum conditiones, puta jus ad hereditatem attribuat, juxta illud Pauli: *si filij, & hæredes*; quas tamen conditiones non attribuit pluri, aut alijs rebus inanimatis. Unde testimonia Scripturæ adducta, in quibus res inanimatæ dicuntur à Deo generari, de generatione latè & improprie accepta, intelligenda sunt.

Ad ultimam dicendum, quòd licet communicatio naturæ non sit de ratione adoptionis, prout fit inter homines, requiritur tamen ad adoptionem, per quam homo adoptatur in filium Dei. Ratio autem discriminis est, quia adoptio in humanis supponit quod adoptatus sit ejusdem naturæ cum adoptante, habeatque in se sufficiens principium, quo fiat aptus ad percipiendam ejus hereditatem; & ideò non mirum, si per illam non communicetur natura: adoptio autem divina, cum non supponat similitudinem in natura, aut sufficientem capacitatem ad percipiendam hereditatem Dei, debet illam efficere, subindeque divinæ naturæ participationem tribuere. Unde licet adoptio humana non producat aliquid intrinsecum in adoptato, bene tamen divina; quia per illam asciscitur tantum in bona naturalia, quæ sunt ejusdem ordinis cum adoptato; per istam verò ad participationem bonorum supernaturalium, quæ sunt ordinis altioris & divini, elevatur: de quo fusè articulo sequenti.

61. Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Gratia in Scriptura dicitur semen Dei, ut patet ex illo 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ejus manet in eo*: id est gratia, ut explicant SS. Patres, & Scripturæ Interpretes: At semen virtualiter solum participat, non verò formaliter, naturam generantis, sicuti semen arboris est arbor solum virtualiter, non formaliter: Ergo gratia non est formalis, sed tantum virtualis, divinæ naturæ participatio.

Tom. IV.

A Respondeo gratiam sanctificantem non vocari semen Dei per ordinem ad naturam divinam, cujus est participatio, sed respectu visionis beatificæ, quia est radix illius, & quia clara Dei visio in virtute gratiæ, ut arbor in virtute seminis, continetur, juxta illud Apostoli, *Gratia Dei vita æterna*: à gratia enim consummata patriæ oritur connaturaliter lumen gloriæ, ut proprietas ab essentia, arbor ex semine, & rivus a fonte: unde etiam illa Joan. 4. dicitur *fons aquæ salientis in vitam æternam*. Solutio est D. Thomæ 1. p. quæst. 62. art. 3, ubi sic habet: *Gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem: unde 1. Joan. 3. gratia semen Dei nominatur*.

B Obijcies tertio: Si gratia sanctificans participaret formaliter naturam divinam, ejus etiam attributa formaliter participaret: Sed gratia non participat formaliter attributa Dei: Ergo nec ejus naturam. Major patet: Cum enim natura sit radix proprietatum, qui naturam aliquam formaliter participat, etiam ejus proprietates, concomitanter saltem & secundario, participare debet. Minor verò suaderetur: Attributa divinæ naturæ sunt immutabilitas, infinitas, omnipotentia, dominium in omnes creaturas, &c. Atqui gratia nihil ex his participat, cum non sit immutabilis & indefectibilis, sed per peccatum possit amitti & corrumpi; nec faciat nos infinitos in essendo, vel omnipotentes, aut rerum omnium dominos: Ergo &c.

C Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad ejus probationem nego etiam Minorem: nam gratia sanctificans aliquo modo perfectiones enumeratas participat. In primis participat Dei immutabilitatem, quia sicut essentia divina est immutabilis omnino, tam ab extrinseco, quam ab intrinseco, ita gratia est immutabilis ab intrinseco (sicut Angeli & corpora celestia) & per solam potentiam divinam mutari potest secundum se. Cui non obstat quod in statu viæ sæpe corrumpatur, hoc enim est per accidens, ex eo quod imperfectè participatur à nobis, & in statu imperfecto existit; cum non jungat hominem Deo per visionem claram essentia ipsius, subindeque non repleat totam voluntatis capacitatem, sed relinquat eam in potentia ad alia, Deo, ejusque legi & voluntati contraria. In statu autem beatitudinis, ubi ab ipsa dimanat lumen gloriæ, quo mediante efficit visionem beatam, & mediante visione applicat voluntati omnimodam rationem boni, est omnino per quamcumque potentiam creatam invariabilis. Unde gratia viæ assimilatur formæ rerum corruptibilium & sublunarium, quæ quia non faciat perfectè appetitum materiæ, corruptibilis & amissibilis est: Gratia verò consummata patriæ, similis est formæ corporum celestium, quæ cum perfectè satiet appetitum materiæ, est ab intrinseco incorruptibilis & inamissibilis. Quare sicut propria essentia divinæ duratio est æternitas increata, quæ est uniformissima & tota simul, absque ulla successione prioris & posterioris: ita duratio, quæ gratia postulat ex sua natura mensurari, & quæ de facto mensurabitur, quando erit consummata in patria, est quædam illius æternitatis essentialis participatio: sed quia hæc per accidens est variabilis, ob statum præternaturalem & imperfectum quem habet in nobis viatoribus, per accidens etiam mensuratur tempore, quod est rerum corruptibilium mensura.

M iij

65. Similiter gratia habet aliquid de infinitate Dei: Primò quia non habet terminum sui augmenti. Secundò quia est principium merendi ad æqualitatem præmium infinitum objectivè, & satisfaciendi aliquo modo pro culpa, quæ in ratione offensæ est infinita. Tertiò, quia est principium actûs charitatis, qui teste D. Thomà 2. 2. quæst. 23. art. 2. ad 3. habet aliquam infinitatem. Tandem ejus infinitas relucet in hoc quod sicut Deus, quia ex se infinitus est, sufficit ad implendum omne cordis humani desiderium, propter quod ab Hebræis vocatur *SADAI*, id est *qui sufficit*; ita & gratia, cum sit divinæ naturæ participatio, & veluti quoddam vinculum, quo Deus animæ intimè conjungitur, potest omnia hominis desideria satiare, præsertim quando fuerit consummata in patria, per lumen gloriæ, & claram Dei visionem, quæ cuncta humani cordis desideria implet & satiat, ut in Tractatu de beatitudine fusè ostendimus. Sunt etiam qui dicunt, illud 1. ad Corinth. 15. *Gratiâ Dei sum id quod sum*, significare quod plenitudo illa essendi, quæ est in Deo, quamque ipse explicuit Exodi 3. dicens, *Ego sum qui sum*, participatur per gratiam ab homine qui habet illam, & qui per ipsam aliquo modo & participativè Deus efficitur.

Disp. 3.
art. 2.
dispositio
unica.

66. Tertiò gratia sanctificans aliquid de omnipotentia Dei participat, ut patet in viris iustis & sanctis, quibus ad nutum omnes creaturæ obediunt, imò & aliquando ipsemet Deus, juxta illud Josue 10. *Obediente Domino voci hominis*. Illi etiam per orationem omnia pro voto à Deo impetrant: unde Chrysostomus ait quod *omnipotens oratio omnia potest*. Et Apostolus ad Philip. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat*: id est (ut explicat D. Bernardus) *omnipotens sum*. Ad do quod, cum per gratiam, perfectam cum Deo contrahamus amicitiam, & id quod per amicos possumus, per nosmetipsos posse censeamur, ut ait Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. nihil mirum quod mediante gratiâ & charitate aliquid de divina omnipotentia participemus. Quare ait Gerson in quodam opusculo: *Sicut Deus dedit omnia in manus Christi, ita dedit omnia in manus Christiani: unde Christianum fas est dicere potentissimum*.

67. Denique gratia sanctificans tribuit homini iusto rerum omnium dominium, idque nobilius & fecundius omni dominio civili: nam si ipsum filium Dei adoptivum constituat, ergo & hæredem ipsius, & cohæredem Christi, ut argumentatur Apostolus ad Romanos 8. Non enim minoris efficacitæ esse debet adoptio divina, quam sit humana; atque adeò sicut adoptio humana adoptatum constituit necessarium hæredem omnium adoptantis bonorum ab intestato, ut habetur instit. de adop. §. *hodie*, multò magis idipsum facere debet adoptio spiritualis, quæ per gratiam non Principis, sed Dei celebratur. Hinc Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive presentia, sive futura, omnia vestra sunt*. Et 2. cap. 6. loquens de iustis, de ipsis ait: *Nihil habentes, & omnia possidentes*: iusti namque nihil habent rerum temporalium, quoad affectum dominij civilis, sed omnia possident, quoad dominium spirituale: nihil habent, quia præ animi magnitudine omnia, præter Deum, contemnunt, & ad Deum ordinant; sed nihilominus omnia possident, quia, ut loqui-

A tur idem Apostolus, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; velut ait Hieronymus in Epistola ad Paulinum: *Credenti totus mundus divitiarum est*. Hoc discursu utitur Gerson in opusculo supra allegato, ubi sic ratiocinatur: *Si Christus iustis omnibus fecit patrem communem, multò magis & bona patris communia facere debuit; cum majus sit Deum esse patrem communem, quam ipsius bona communia*.

68. Ad do quod rationalis anima per gratiam fit Dei sponsa, & connubium quoddam spirituale inter ipsam & Deum mediâ charitate celebratur: cum autem connubium spirituale non debeat esse inferioris conditionis connubio carnali, sicut in matrimonio carnali fit bonorum communio, sive communicatio; ita etiam, imò à fortiori, hoc fieri debet in matrimonio spirituali. Hinc (ut rectè notavit Philippus Abbas in Cantica) quoties Sponsus in sacro Epithalamio Sponsam alloquitur, toties in plurali loquitur de bonis suis, tanquam de communibus sibi & Sponsæ: *Vox turturis* (inquit) *audita est in terra nostra.... Vinea nostra floruit &c.* Hoc argumento utitur Arnoldus Lexoviensis Epistola ad Patres Concilij Turonensis, dicens: *Si Christus Sponsus est Dominus, & sponsa erit Domina*.

Dixi autem dominium istud spirituale gratiæ, nobilius & fecundius esse dominio civili, quia in lege Dei gratiam concedentis, & in ipsa gratiæ natura fundatur: dominium verò civile in humanis fundatur traditionibus, & peccati occasione adinventum est; adeò ut dicant communiter Theologi, quod si Adam non peccasset, non fuisset civilis dominij divisio, sed omnia bona communia extitissent. Item, cum dominium civile sit materiale, atque adeò divisibile, plures ex æquo non compatitur dominos: dominium verò gratiæ, cum sit spirituale, tot habet dominos, quot iustos; & taliter est totum unius, ut sit totum alterius; hoc enim est rerum spiritualium proprium, eò quod sint indivisibiles, ut sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte.

69. Obijcies quartò: Si gratia esset participatio formalis naturæ divinæ, faceret nos filios Dei adoptivos: Sed hoc non præstat. Ergo non est formalis participatio naturæ divinæ. Major patet ex supra dictis. Minor probatur primò: Gratia Christi est ejusdem speciei cum nostra: Sed illa non facit Christum filium Dei adoptivum: Ergo nec nostra.

Probat secundò: Effectus formalis primarius formæ absolute non est relativus: Sed gratia est forma absoluta, & esse filium Dei adoptivum, est quid relativum: Ergo gratia non tribuit homini esse filium adoptivum Dei.

70. Pro solutione hujus argumenti observandum est, in filiatione adoptiva Dei duo esse distinguenda, nimirum filiationem, & proximum ejus fundamentum: istud est effectus formalis gratiæ, ab illa inseparabilis, quia fundamentum proximum talis relationis est participatio naturæ divinæ, communicata nobis per voluntariam Dei generationem; illa verò non est propriè effectus formalis gratiæ, quia provenit à forma accidentali distincta, nempe à relatione filiationis, unde à gratia separabilis est, ut patet in Christo Domino; reductivè tamen pertinet ad primarium effectum formalem gratiæ, quia fundatur in illo, & est complementum ejus. Hoc supposito.

Ad argumentum respondeo, concessa Majori, 71.

negando Minorem. Ad cuius primam probationem, distinguo Minorem: non facit Christum filium adoptivum Dei, secundum relationem, concedo Minorem; quia enim Christus Dominus est filius naturalis Dei, non potest esse filius ejus adoptivus, cum suppositum quod est subiectum talis relationis, debeat esse filius extraneus, non verò naturalis, neque habere essentialiter naturam adoptantis: non facit Christum filium adoptivum, secundum humanitatem pro fundamento, nego Minorem: nam gratia tribuit humanitati Christi Domini participationem naturæ divinæ, quæ de se, quando est in supposito creato, est fundamentum sufficiens adoptionis. Et hoc sufficit, ut facere hominem filium Dei adoptivum, dicatur effectus formalis primarius gratiæ, sumendo scilicet filiationem adoptivam pro fundamento proximo, non verò pro ipsa relatione. Ex quo patet responso ad secundam probationem Minoris: concessa enim Majori, Minor quoad secundam partem distinguenda est, & concedenda de filiatione adoptiva, sumpta pro fundamento ejus proximo, sub qua ratione eam usurpat Theologi, cum dicunt effectum formalem primarium gratiæ esse, reddere hominem filium Dei adoptivum, ut articulo sequenti patebit.

72. Obijcies quintò contra tertiam conclusionem: Impossibile est quod gratia sanctificans participet naturam divinam ut infinitam, nisi infinitas naturæ divinæ ipsi communicetur: Sed repugnat infinitatem naturæ divinæ communicari gratiæ sanctificanti, cum illa sit propria Deo, ut distincto à creaturis: Ergo gratia sanctificans participare nequit naturam divinam, ut infinitam.

73. Confirmatur: Quod participatur ab aliquo formaliter, prædicatur de illo; v. g. quia accidens participat rationem entis analogicè, idè potest ens prædicari de accidente: Sed ratio entis infiniti, & actus puri, vel entis per essentiam, non potest prædicari de gratia sanctificante, cum illa sit essentialiter ens creatum, finitum, potentiale, & participatum: Ergo gratia sanctificans non est participatio naturæ divinæ, ut est actus purus, & ens infinitum, ac per essentiam.

74. Respondeo ad objectionem distinguendo Majorem: nisi infinitas naturæ divinæ ipsi communicetur, adæquatè & totaliter, nego: inadæquatè & participativè, concedo. Similiter distinguo Minorem: repugnat infinitatem naturæ divinæ communicari gratiæ adæquatè, sive totaliter, conceditur: inadæquatè & participativè, negatur.

75. Explicatur: Infinitas naturæ Dei dupliciter considerari potest, adæquatè nimirum & inadæquatè, sive simpliciter, & secundum quid tantum: adæquatè & simpliciter consideratur, si concipiatur non solum ut est radix seipsam tanquam objectum connaturale respiciendi per actus amoris & cognitionis, sed etiam ut modo infinito & illimitato seipsam attingit, mediantibus prædictis actibus: sumitur verò inadæquatè, quando consideratur præcisè ut est radix Deum in seipso consideratum intelligendi & amandi; & hoc modo communicari potest creaturæ, licet non alio priori, cum ille sit proprius Deo, ut distincto à creaturis.

76. Ad confirmationem responderetur ex D. Thoma quodlib. 2. art. 3. quod aliquid dupliciter ab alio participari potest: uno modo sicut ratio communis & superior, quo modo animal participatur ab homine, quia homo partialiter habet,

A & non totaliter, id quod in confuso continetur in animali: alio modo ut existens extra ejus essentiam, sicut ignis à ferro candenti participatur, & esse à creaturis; existentia enim non est de essentia creaturæ, sed aliquod prædicatum accidentale illius, ut ibidem ait S. Doctor. Quod primo modo ab alio participatur, potest de illo prædicari, sicut animal prædicatur de homine: quod verò secundo tantum modo participatur ab aliquo, non prædicatur de illo, v. g. ignis non prædicatur de ferro candenti. Cum ergo gratia sit participatio solum accidentalis naturæ divinæ, & ista non comparetur ad illam, sicut ratio communis & superior ad inferiorem; ratio formalis actus puri, & entis infiniti, ac per essentiam, non debet de illa prædicari; sed sufficit quod aliqua ratio analogicè communis naturæ divinæ & gratiæ sanctificanti, nimirum esse radicem intelligendi & amandi Deum ut est in se, de gratia prædicetur.

B Obijcies sextò contra eandem conclusionem: Nulla potest dari species creata, quæ formaliter repræsentet Deum ut est in se ens infinitum & per essentiam, ut in Tractatu de visione beata ostensum fuit: Ergo nec ulla qualitas creata, quæ naturam Dei, ut est actus purus, & ens infinitum, ac per essentiam, formaliter participet. Consequentia videtur legitima, major enim est repugnantia, quod aliquid creatum habeat formalem convenientiam in esse entitativo cum ente increato & infinito, quam in esse intentionali vel intelligibili.

C Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: duplex enim assignari potest ratio discriminis. Prima est, quia species est formalis similitudo objecti, subindeque se tenet ex parte illius, eique commensuratur; & ita si daretur species quidditativa Dei, se teneret ex parte ipsius, ab eo specificaretur, & immediatè ab eo exiret: unde cum ab objecto illimitato non limitaretur, careret primario & formali limitativo, & sic esset Deus: At verò gratia, lumen gloriæ, & visio beatifica, se tenent ex parte subiecti, vel per modum virtutis radicalis, ut gratia, vel per modum principij proximi, ut lumen, vel per modum operationis vitalis, ut visio; unde illa omnia, cum ex proprio conceptu sint accidentia, à subiecto limitantur.

D Secunda disparitas est, quia species creata repræsentativa Dei ut est in se, esset participatio illius, non per modum virtutis operativæ, sed per modum repræsentationis formalis in esse intelligibili; gratia verò sanctificans est solum participatio divinæ naturæ per modum virtutis operativæ, seu principij radicalis operandi, puta cognoscendi & amandi Deum ut est in se: quamvis autem repugnet participatio Dei per modum repræsentationis formalis, non tamen per modum virtutis operativæ, tendentis in Deum ut est in se; quia repræsentatio formalis est ipsum objectum in esse intelligibili; unde cum esse entitativum & intelligibile in Deo identificentur, eo ipso quod daretur species seu similitudo formalis, Deum ut est actus purus, & ens infinitum ac per essentiam, repræsentans, deberet tam in esse entitativo quam intelligibili esse actus purus, ac ens infinitum & per essentiam, quod implicat. At verò virtus, sive radicalis, sive proxima, per quam attingitur aliquod objectum, non est necessario tale objectum, sed potest, imò debet in creatis reperiri distincta realiter ab illo: quare ex

77.

Disp. 2.
art. 1.

78.

eò quòd gratia & habitus supernaturales respiciant connaturaliter in Deo rationem actus puri, ac etis infiniti & per essentiam, non sequitur quòd sint entitative actus purus, & ens per essentiam.

79.

Disp. 2.
art. 1.
§. 5.

Objicies ultimò contra ultimam conclusionem: Natura Divina constituitur formaliter per intelligere actuale, & non per radicale, ut in Tractatu de natura Dei, ejusque attributis, ostensum est: Atqui gratia sanctificans non participat ipsum intelligere actuale Dei, sed tantum radicale; actuale enim solum ab actu fidei, vel à visione beatifica participatur: Ergo gratia sanctificans non participat naturam Dei, formaliter ut natura est.

80.

Respondeo quòd licet natura divina sit ipsum intelligere Dei actuale, tamen eminenter continet & exercet munus principij radicalis intelligendi, intellectivæ virtutis, & intellectiois actualis, absque distinctione virtuali, ut loco citato cum Carmelitis Salmanticensibus docuimus; & quia nulla res creata potest illud participare adequatè & secundum omnia munera quæ exercet (eò quòd nulla res creata possit esse suum intelligere actuale) sed tantum inadæquatè, & secundum aliquod munus; gratia sanctificans, quæ participat illud ut exercet munus principij radicalis, quòd est primum in Deo, & fundamentum cæterorum, rectè dicitur participatio naturæ divinæ, ut natura est; non autem visio beatifica, quia hæc participat solum intelligere, quatenus exercet munus operationis, quòd non sufficit ut natura divina dicatur participari sub conceptu naturæ: sicut quamvis existentia non distinguatur, etiam virtualiter, à natura in Deo, unio tamen humanitatis Christi dicitur facta ad existentiam, & non ad naturam, quia non est facta ad existentiam, ut exercet munus naturæ.

§. III.

Corollaria notatu dignissima.

81.

EX dictis inferes primò, gratiam sanctificantem per se secundò esse participationem naturæ Dei, ut est Trinus in Personis. Nam, ut conclus. 3. ostendimus, illa participat naturam divinam, ut est ens infinitum & per essentiam, habetque totam essendi plenitudinem: Sed ex hoc veluti à ratione a priori, nostro modo intelligendi, oritur quòd sit Trinitas Personarum in una simplici essentia; fecunditas enim divinæ naturæ ad intra per actiones immanentes intellectus & voluntatis, provenit ex omnimoda illa essendi plenitudine, & infinitate Dei; cum eadem natura & perfectio finita non possit pluribus realiter distinctis communicari: Ergo gratiæ sanctificantis secundariò convenit esse participationem naturæ Dei, ut est Trinus in Personis. Unde ex illa hic in via oritur charitas, quæ est inclinatio ad Deum ut est in se Unus & Trinus; & in patria lumen gloriæ, & visio beatifica, quæ licet per se primò attingant Deum, ut est unus, secundariò tamen ad ipsas personas Trinitatis terminantur. Per illam etiam aliqua nobis communicatur participatio Trinitatis, seu quædam vis producendi aliquam Verbi Divini & Spiritus Sancti participationem: nam per illam habemus in intellectu vim ad producendam supernaturalem cognitionem, per quam producit verbum supernaturale, quòd est aliqualis participatio Verbi Divini: item illa causat in voluntate amorem & charita-

tem supernaturalem, quæ (teste D. Thomà 2. 2. quæst. 24. art. 7.) est aliqualis participatio Spiritus Sancti. Dixi autem gratiam sanctificantem esse per se secundò participationem naturæ Dei, ut est Trinus in Personis: quia supernaturalitas gratiæ, & aliorum entium supernaturalium, non consistit per se primò in habitudine ad Deum, ut est Trinus in Personis, sed ut est actus purus, & ens infinitum, & per essentiam, habetque totam essendi plenitudinem, ut articulo præcedenti declaravimus.

Inferes secundò, virtutes infusas dimanare physice à gratia sanctificante, sicut ab anima profuunt ejus passionēs. Cum enim gratia & virtutes sint participationes naturæ & proprietatum Dei, eandem debent servare proportionem ac illæ: Sed inter naturam divinam & ejus proprietates seu attributa talis est proportio, quòd natura virtualiter est causa proprietatum seu attributorum; quare per naturam, tanquam per causam virtuale, seu rationem à priori demonstrantur: Ergo gratia sanctificans est causa virtutum infusarum, illæque ab ipsa physice dimanant, sicut proprietates ab essentia. Unde D. Thomàs hic art. 4. ad 1. ait: *Sicut ab essentia anima effluunt ejus potentie, quæ sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias anima.* Et in 2. dist. 26. quæst. 1. art. 4. ad 5. dicit quod *virtutes informantur à gratia per modum originis, quia ex ipsa gratia quodammodo formaliter oriuntur habitus virtutum per diversas potentias diffusi.*

Confirmatur: Ideò passionēs dicuntur physice emanare ab essentia, quia producuntur consequenter à generante, ex vi ipsiusmet actionis productivæ essentia: Sed virtutes infusæ communicantur animæ consequenter ex vi actionis productivæ gratiæ: Ergo resultant physice à gratia sanctificante. Major patet ex Philosophia: Minor probatur. Ideò passionēs producuntur consequenter ex vi actionis generativæ, quia pertinet ad generans non solum dare esse, sed etiam quæ requiruntur ad statum & dispositionem connaturalem rei genitæ in instanti generationis: Sed ad statum & dispositionem connaturalem gratiæ, etiam in instanti suæ productionis, requiruntur virtutes infusæ; sicut ad statum connaturalem animæ requiruntur dispositiones & accidentia connaturalia, etiam in instanti generationis: Ergo virtutes infusæ communicantur animæ consequenter ex vi actionis productivæ gratiæ.

Advertendum tamen est, aliquas esse virtutes, quæ tam in ratione habitus quàm virtutis necessariò oriuntur à gratia; alias verò quæ solum necessariò ab illa oriuntur in ratione virtutis: nam virtutes quæ nequeunt esse informes, ut charitas, pœnitentia, &c. oriuntur ab illa primo modo; quæ verò possunt esse informes, ut fides, & spes, oriuntur ab illa secundo modo; quia licet connaturaliter ab illa dimanant, ut patet in puero baptizato, tamen propter rationem imperfectam virtutis quam habent sine gratia, possunt quantum ad suam substantiam esse sine illa.

Inferes tertio, de potentia absoluta Dei non posse dari plures species gratiæ sanctificantis, essentialiter inter se diversas. Nam gratia sanctificans, ut vidimus, est participatio formalis naturæ divinæ, ut natura est: Sed natura Dei, sub conceptu naturæ, cum sit simplicissima, non potest nisi uno modo participari, nimirum per modum constitutivi, & principij radicalis divinarum attributorum: Ergo gratia sanctificans, de potentia etiam

etiam Dei absoluta, specie essentiali multiplicari nequit.

86. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Licet infinita Dei perfectio sit participabilis infinitis modis specie diversis, quando non determinatur modus participationis, secus tamen quando talis modus determinatur: v. g. licet intellectus divinus absolute sit participabilis multis modis specie diversis, & de facto participetur per lumen gloriæ, per visionem beatam, per fidem, per prophetiam, & per scientiam per se infusam; ille tamen sub ea ratione quâ essentialiter divinam clare & ut est in se, ac intuitivè respicit, non potest participari nisi uno modo, scilicet à lumine gloriæ, ut exercet rationem principij cognoscitivi, & à visione intuitiva Dei, ut exercet rationem operationis, seu actualis cognitionis; quia tunc determinatur modus participationis. Ita pariter licet id quod in Deo habet rationem essentiali, sit multipliciter à creaturis participabile, si tamen illud sub conceptu & munere naturæ præcisè consideretur, seu ut est eminenti quodam modo radix divinorum attributorum, non potest nisi uno modo participari: quia tunc modus participationis determinatur & limitatur.

87. Confirmatur amplius: Si duæ essent gratiæ specie essentiali distinctæ, duæ quoque essent specie essentiali distinctæ charitates: Sed hoc implicat: Ergo & illud. Sequela Majoris patet, quia charitas, & cæteræ virtutes infusæ, emanant connaturaliter à gratia, sicut proprietates & potentiae operativæ ab anima, ut corollario præcedenti ostensum est; unde sicut existentibus diversis animabus, necesse est diversas esse potentias ab ijs dimanantes; ita etiam si diversæ darentur gratiæ, diversæ quoque deberent dari virtutes infusæ, & diversæ charitates. Minor verò probatur: quia de ratione essentiali charitatis est tendere in Deum, ut super omnia appetitivè diligendum; qui modus non est amplius essentialiter contrahibilis, sed accidentaliter solum, penes diversos modos quibus potest perfici, puta penes intensiorem, aut etiam extensiorem ad plura imperanda in ordine ad suum objectum.

88. Adde quod, Si homo haberet plures gratias, vel charitates, specie diversas, haberet etiam plures ultimos fines; quia qualibet illarum gratiarum, vel charitatum, inclineret ad distinctum finem: Sed implicat hominem plures ultimos fines habere, ut in Tractatu de ultimo fine ostendimus: Ergo & habere plures gratias, vel charitates, specie physicâ & essentialiter inter se diversas. Dixi *specie physicâ & essentiali*, quia possunt dari diversæ gratiæ distinctæ specie moralis & accidentali; v. g. gratia Christi morali specie differt à nostra, quia est principium meriti, & satisfactionis infinitæ. Similiter gratiæ sacramentales differunt inter se specie accidentali, quia habent diversas virtutes, & connotant diversa auxilia, contra diversa vulnera peccatorum: de quo in Tractatu de sacramentis.

89. Dices: Illæ formæ distinguuntur specie physicâ & essentiali, à quibus dimanant proprietates specie diversæ: Sed à gratia Christi & Adami dimanant proprietates specie diversæ ab illis quæ à gratia nostra profluunt; nam in Christo gratia est radix iustitiæ commutativæ, & in Adamo iustitiæ originalis, vel doni integritatis, non verò in nobis; item gratia in nobis viatoribus producit fidem, & spem; in comprehensoribus ve-

Tom. I V.

A rò lumen gloriæ, & claram Dei visionem: Ergo illa gratia specie physicâ & essentiali inter se differunt.

Respondeo quod licet formæ substantiales, à quibus dimanant proprietates specie diversæ, sint diversæ speciei, non tamen formæ accidentales, qualis est gratia sanctificans. Cum enim proprium sit formæ accidentalis, perficere subiectum in quo recipitur, juxta modum & exigentiam illius, pro diversitate subiectorum, diversos producit effectus, interdum specie diversos: v. g. calor ut est in igne, producit ignem; ut est in animali, & quatenus est instrumentum potentiae nutritivæ, producit sanguinem, & carnem; ut est in fœmina producit lac, &c. Item influentia corporum cœlestium pro diversitate subiectorum, in quibus recipiuntur, varios operantur effectus; nam in hortis producant flores, in vineis uvas, in olivetis olivas: & aqua cum unius sit speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola, ut ait Chrysostomus. Ita igitur gratia, licet una & simplex qualitas, pro diversa tamen subiectorum, in quibus recipitur, capacitate & exigentia, multiplices, & interdum specie diversos, operatur effectus: nam in nobis causat filiationem adoptivam, sed non in Christo; quia cum Christus sit filius Dei naturalis, est incapax adoptionis: in nobis causat penitentiam, in Christo verò iustitiam commutativam: in Adamo ante lapsum fuit radix iustitiæ originalis, seu doni integritatis, post lapsum verò in eo talia dona non caulavit: in nobis producit virtutes moderatrices passionum, sed non in Angelis; quia cum careant passionibus, non sunt capaces illarum. Denique cum gratia sanctificans sit prima & radicalis ratio reducendi creaturam intellectualem in Deum, tanquam in finem ultimum, duplicem habet statum, scilicet tendentiæ sive motus in illum finem, ac quietis in eodem fine; & in primo cōnaturaliter exigit fidem & spem (non enim hic ambulamus per speciem, & claram Dei visionem, sed per fidem & cognitionem obscuram, ut ait Apostolus) in secundo verò postulat necessariò lumen gloriæ, quod eliciat claram Dei visionem; & dotes, nedum animæ, sed etiam corporis, quas in Tractatu de beatitudine exposuimus: unde non mirum, si pro illorum statuum diversitate diversarum virtutum & proprietatum sit radix.

Inferes quartò, gratiam sanctificantem esse simpliciter perfectiorem charitate, lumine gloriæ, visione beatificâ, & quocumque alio ente supernaturali: licet visio beatifica in modo essendi illam excedat, & sit perfectior secundum quid.

Prima pars huius corollarij patet ex suprà dictis: Cum enim entia supernaturalia sint participationes Dei, prout excedit totum ordinem creatum & creabilem, tantò aliquid debet assimilari perfectius, quantò maiorem Dei perfectionem exprimit & participat: Sed gratia participat id quod maiorem exprimit perfectionem in Deo: Ergo est simpliciter perfectior alijs entibus ordinis supernaturalis. Major patet, Minor probatur. Gratia sanctificans, ut ostendimus, participat naturam divinam, sub conceptu & munere naturæ; lumen verò gloriæ participat de eminentia Dei, quatenus exercet præcisè munus virtutis intellectivæ; visio beata, quatenus exercet munus actualis intellectiōis; charitas verò, & alij habitus infusi, sunt participationes proprietatum & attributorum divinorum: quam-

N

vis autem omnia quæ sunt in Deo sint absolute æqualia in perfectione, quia unumquodque est tota essendi plenitudo; non omnia tamen, ex vi propriæ lineæ, aut ex proprio munere, æqualem exprimunt perfectionem; imò secundum communiorum Thomistarum sententiam, quædam ex vi propriæ lineæ nullam dicunt perfectionem, scilicet relationes: id verò quod ex vi propriæ lineæ, & sub proprio munere, maiorem exprimit perfectionem in Deo, est natura, sive constitutivum, in quantum huiusmodi, utpote à quo cætera, veluti à radice eminentissima, virtualiter derivantur: Ergo gratia sanctificans participat id quod maiorem in Deo perfectionem exprimit.

92. Secunda pars, quæ asserit visionem beatam in modo essendi esse perfectiorem secundum quid gratiæ sanctificantis, etiam est manifesta: Nam actus secundus, seu operatio, in modo essendi est nobilior habitu, quia non continet potentialitatem, quam includit habitus: Sed visio beata est actus secundus, gratia verò sanctificans est habitus, ut art. 2. ostendimus: Ergo visio beatifica in modo essendi est perfectior gratiæ sanctificantis. Similiter lumen gloriæ secundum quid & accidentaliter est illa perfectius, quatenus necessario conjungitur actuali operationi.

93. Dices primò: Status patriæ est simpliciter nobilior statu viæ: Ergo dona quæ pertinent ad statum patriæ, sunt simpliciter nobiliora donis pertinentibus ad statum viæ: At lumen gloriæ, & visio beatifica, pertinent ad statum patriæ; gratia verò sanctificans, ad statum viæ: Ergo lumen gloriæ, & visio beatifica, sunt simpliciter perfectiora gratiæ sanctificantis.

94. Respondeo quædam esse dona supernaturalia, quæ pertinent ad statum patriæ tantum, ut lumen gloriæ, & visio beatifica: quædam quæ pertinent ad statum viæ tantum, ut fides, & spes; & alia quæ pertinent ad statum viæ & patriæ simul, sicut gratia & charitas: quamvis autem quæ sunt dona patriæ tantum, sint potiora donis viæ tantum, secus tamen est de donis viæ & patriæ simul; imò hæc præstant omnibus alijs, saltem quantum ad illud quod est omnium aliorum prima radix & fundamentum, scilicet gratiam sanctificantem. Hinc D. Chrysostomus homil. 9. in Epist. ad Roman. in fine ait, quod nec liberatio à gehenna, nec affectio regni cælestis est tantum bonum, sicut esse dilectum & gratum Deo. Unde beati rationabiliter eligerent potius privari visione beatificâ, quam gratiæ sanctificantis.

95. Dices secundò: Finis est nobilior eo quod est ad finem: Sed visio beata est finis gratiæ sanctificantis: Ergo est perfectior.

Respondeo distinguendo Antecedens: Finis obiectivus, concedo Antecedens: finis formalis, nego Antecedens: visio autem beatifica est tantum finis formalis gratiæ sanctificantis; finis verò obiectivus illius est ipsa Dei essentia clarè visa, & per modum speciei & formæ intelligibilis intellectui creato unita.

96. Instabis: Illa forma est nobilior simpliciter, quæ nos facit Deo similiores, & magis nos ipsi conjungit: Atqui visio beatifica, licet non sit finis obiectivus, sed tantum formalis, tamen nos facit similiores Deo, quam gratia; ut enim dicitur 1. Joan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; nosque Deo magis unit, cum sit ipsa actualis conjunctio cum Deo:

A Ergo est simpliciter nobilior ac perfectior.

Respondeo gratiam præcisè ratione sui, cum sit participatio formalis naturæ divinæ, nos facere similiores Deo, quam visionem beatam, præcisè & ratione sui, cum illa sit tantum participatio operationis intellectualis Dei; quamvis ratione unionis essentiae divinæ in ratione speciei impressæ, & expressæ, quam supponit, vel secum adducit, faciat nos Deo similiores quam gratia: Sed ex hoc non sequitur, quod illa sit simpliciter ratione sui perfectior gratiâ, sed solum ratione huiusmodi unionis essentiae divinæ in ratione speciei, & formæ intelligibilis. Similiter ex eo quod visio nos magis conjungit Deo in seipso, quam gratia sanctificans, non potest inferri, quod sit simpliciter perfectior gratiâ, sed solum secundum quid, & in ratione actus secundi, ut in secunda parte corollarij exposuimus. Unde D. Thomas infra quæst. 113. art. 9. ait: *Donum gratiæ, impium iustificantis, est majus quam donum gloriæ beatificantis.*

Inferes quintò, gratiam sanctificantem esse perfectiorem Dei maternitate. 97.

Probat per primò: Nobilior est Deum concipere mente, quam ventre: Sed per gratiam sanctificantem mente Deum concipimus, imò tota Trinitas habitat in nobis, juxta illud Joan. 14. *Apud eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Ergo gratia sanctificans est perfectior & nobilior maternitate B. Virginis, per quam Christum in ventre concepit. Unde Augustinus cap. 4. de virginis. *Beatorum fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi: materna propinquitas nihil Maria profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.*

Secundò probatur: Gratia sanctificans, etiam de potentia absoluta, cum peccato mortali stare nequit, ut in Tractatu de justificatione & merito ostendimus: At maternitas Dei absolute cum peccato mortali composibilis est; nam Verbum Divinum poterat carnem assumere ex aliqua muliere peccatrice, si voluisset, nec tamen eam à peccato mundare: Ergo gratia sanctificans Dei maternitatem in perfectione superat. Unde B. D. Virgo magis eligeret maternitatem quam gratiâ sanctificantem privari. 98.

Dices: D. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. ad 4. sic ait: *Beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus; & ex hoc non potest aliquid fieri melius ipsâ, sicut non potest aliquid esse melius Deo.* Unde ex hoc infert 3. p. quæst. 25. art. 5. illam debere adorari adoratione hyperdulæ: quia (ut ait Cajetanus) *ejus dignitas fines Divinitatis propinquius attingit.* Hinc etiam D. Epiphanius in scem. de laudibus Virginis mirum in modum extollit ejus maternitatem, & de sacro illo utero, qui Christum meruit portare, hæc E scribit: *O uterum impollutum habentem circum calorum: qui Deum incomprehensum in te comprehensum portasti! O uterum qui celum es, septem circulis constans, & capax illis existens! O uterum septem cælis sublimiorem!* 99.

Respondeo quod si B. Virginis maternitas accipiat secundum se, & ut præcisè à gratia sanctificantis, est quidem infinita quædam dignitas, ratione termini infiniti quem attingit. Personæ scilicet Verbi Divini, non tamen est infinita sanctitas, imò nec ullam formaliter & essentialiter dicit sanctitatem: tum quia non est divinæ essentiae participatio: tum etiam quia, 100.

ut suprà dicebamus, cum peccato mortali stare potest: gratia verò habitualis, propter oppositas rationes, essentialiter dicitur sanctitatem, & ab ea inseparabilis est; unde & sanctificans appellatur, quia ejus effectus formalis est sanctificare animam: quare cum ex sanctitate magis quam ex dignitate, rerum perfectionem & excellentiam venari & metiri debeamus, dicendum est, gratiam habitualesse absolute perfectionem materitatem B. Virginis, licet ista secundum quid eam superet.

101. Inferes ultimum, gratiam sanctificantem esse perfectionem, secundum suam rationem specificam & essentialem, substantiā animæ rationalis, vel Angelis, & quilibet aliā substantiā creatā vel creabili: licet secundum modum essendi imperfectior sit; cum omnis substantia per se subsistat, & gratia, utpote accidens, subsistat in alio. Ita expresse docet S. Thomas varijs in locis. Nam quæst. 17. de verit. art. 1. ad 6. ait: *Potest dici quod gratia inquantum ens creatum non est nobilior animā Christi, sed inquantum est quadam similitudo divine bonitatis, expressior quā similitudo naturalis quæ est in animā Christi.* Et hic art. 2. ad 2. docet, quod licet gratia imperfectiori modo habeat esse in anima, quā anima habeat in se, tamen inquantum est expressio & participatio divine bonitatis, multo major quā substantia, est nobilior animā. Item 2. 2. quæst. 23. art. 3. asserit charitatem esse simpliciter perfectionem substantiā animæ: *Omne accidens (inquit) secundum suum esse est inferius substantiā, quia substantia est ens per se, accidens est in alio: sed secundum rationem suā speciei, accidens quidem quod causatur ex principijs subjecti est indignius subjecto, sicut effectus causa; accidens autem quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ, est dignius subjecto, inquantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphano; & hoc modo charitas est dignior animā, inquantum est participatio quadam Spiritus Sancti.* Si autem charitas sit perfectior animā, secundum suam speciem, a fortiori gratia sanctificans (quæ, ut suprà ostendimus, ipsam charitatem excedit) erit illā nobilior.

102. Ratio etiam quam D. Thomas insinuat, id efficaciter suadet: Nam major vel minor perfectio essentialis alicujus formæ, sumitur ex majori vel minori assimilatione ad Deum, & participatione perfectionum ipsius: Sed nulla substantia creata potest præstare tantam similitudinem & participationem Dei, quantam præstat gratia per seipsam, & per operationem sibi connaturalem, scilicet visionem beatam, de qua dicitur 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est:* Ergo nulla substantia creata gratiam sanctificantem in perfectione superat vel adæquat. Unde recte Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 6. *Dei Gratia non solum omnia sydera & omnes calos, verum etiam omnes Angelos supergreditur.*

103. Confirmatur: Ex perfectione operationis cognoscitur perfectio formæ, sicut ex fructu cognoscitur perfectio arboris; unde ex eo quod homo habet operationes perfectiores operationibus brutorum, nimirum discurrere & velle, à posteriori colligimus, animam rationalem esse in sua specie perfectionem & nobiliorem formis brutorum: Sed gratia sanctificans habet operationes simpliciter perfectiores operationibus proprijs & connaturalibus omnium substantia-

Tom. IV.

A rum creaturarum, & creabilium: Ergo est simpliciter perfectior omni substantiā creatā, & creabili. Minor probatur: Visio beatifica est propria & connaturalis operatio gratiæ, utpote quam connaturaliter exercet in statu beatitudinis, medio lumine gloriæ, tanquam propriā virtute: Sed hæc operatio excedit vires, proportionem, & facultatem naturalem cujuscunque substantiæ creatæ & creabilis, ut in Tractatu de visione beata demonstravimus: Ergo &c.

Disp. 1.
art. 1.

Ex his intelliges, quam pie ac eruditè locutus sit S. Thomas infra quæst. 113. art. 9. ad 2. cum dixit: *Bonum gratia unius, majus est quā bonum natura totius universi:* nam revera unicus gradus gratiæ sanctificantis, majoris est valoris & pretij, quā bona omnia naturalia totius universi. Quare in sacris litteris illa præfertur omnibus rebus creatis: Job. 28. *Nescit homo pretium ejus, non dabitur aurum obrisum pro ea.* Sapient. 7. *Melior est possessio ejus auro & argento electo.* Sapient. 7. *Præposui illam regnis & sedibus, & divitiis nihil esse duxi in comparatione illius &c.* Unde Cajetanus in commentario illius articuli, aurea illa S. Doctoris verba expendens, subdit: *Ante oculos tuos semper die nocteque tene, quod bonum gratia unius, est melius quā bonum natura totius universi, ut continue videas damnationem imminentem non estimanti tantum bonum oblatum.* Quibus verbis prudenter nos admonet piissimus ille ac doctissimus Cardinalis, quantā diligentia & sollicitudine satagere debeamus, ut gratiam perditam recuperemus, recuperatam conservemus, & conservatam, per actus ferventiores augeamus, donec per lumen gloriæ, & claram Dei visionem, atque amorem beatificum, perficiatur & consummetur in patria.

104.

ARTICVLVS V.

An gratia sanctificans præstet formaliter esse filium Dei adoptivum, eaque sola talem effectum præstare possit?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

105. PRO resolutione hujus difficultatis tria recollenda sunt, quæ articulo præcedenti insinuavimus. In primis notandum est, quod adoptio solet communiter definiri à Theologis & Jurisperitis: *Gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hereditatem.* Juxta quam definitionem, ut quis adoptetur in filium, requiritur, primo quod persona extranea sit; hoc est, quod ex se & ratione sui non habeat jus filij ad hereditatem ad quam adoptatur: secundo, quod assumptio sit gratuita, hoc est alijs titulis non debita. Alia conditio superaddi solet, mutuus scilicet adoptantis & adoptati consensus, si adoptatus sit sui juris; si verò sui juris non sit, exigitur consensus Tutoris. Quod autem adoptatus non accipiat esse ab adoptante, & quod adoptio in solatium adoptantis fiat, ac denique quod adoptatus non succedat in hereditate usque ad mortem adoptantis, non sunt de essentia adoptionis, sed adoptioni humanæ & civili competunt, propter ejus imperfectionem.

106. Secundo supponendum est ut certum, & indubitata fide tenendum, Deum homines in filios adoptare, ut constat ex Paulo ad Roman. 8. *Ad-*

N ij